...os. Univ. Jagell.

Appellatio ad S. D. D. N. Urbanum VIII. in causa iuris legendi Cracoviae inter almam Jageloniam Universitatem Studii Cracov. ac Religiosos Presbyteros Societatis Jesu Cracovienses.

Crac. in off. Matthiae Andreoviensis 1630. editio IIda ?

Dalsze dwa egzemp. znajdują się jako ... w rękopisach Rkp. 226 (po str. 224) i Rkp. 227 (karty 926–927)

✠

APPELLATIO

AD

SS. D.D.N. VRBANVM VIII.



In Causa Iuris legendi Cracouiæ.

INTER

Almam Iageloniam Vniuersitatem, siue Academiam Studij Cracouiensis Scholam Regni Poloniæ Generalem, ac Religiosos Presbyteros Societatis IESV CRACOVIÆ.

A

Certa Sententia Rñdißimi D. Francisci Maria Ghisilerij, S. Rotæ Auditoris, istius Causæ Iudicis Commissarij.

PER

Dictam Almam Vniuersitatem, illiusque Magnificum D. RECTOREM interposita cum

PROTESTATIONE.

1630



In nomine Domini, Amen.

PRÆSENTI publico instrumento cunctis pateat euidenter & sit notum, quod Anno à Natiuitate eiusdem Dñi, Millesimo Sexcentesimo Trigesimo. Indictione Romana tredecima. Pontificatus Sanctissimi D. N. D. VRBANI diuina prouidentia Papæ Octaui. Anno Septimo. Die vero Martis Vigesima quinta Mensis Iunij, in mei Notarij publici testiumq; infrascriptorum ad id specialiter vocatorum & rogatorum præsentia, personaliter constitutus Admodum Rendus & Magnificus D. ADAMVS OPATOVIVS S.T.D. & Professor, Decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac & RECTOR nomine suo ac totius Vniuersitatis Studij Genaralis Ciuitatis Cracouien: tenens & habens suis in manibus, quãdam Protestationis prouocationis & Appellationis papyri schedulam, à grauaminibus & Sentẽtia quadã prætensa vt dicitur in Rota lata per Reuerendissimum Patrem Dominum Ghisilerium, in causa & causis coram eo inter dictam Vniuersitatem ex vna, & Patres Iesuitas Societatis Iesu Crac: ex altera parte in tertia instantia, de & super iure legendi vertente, & mota, à prima notitia, eodem animo, intentione protestando prouocando & appellando, coram me Notario publico infra posito, interposuit, cuius tenor sequitur talis videlicet. A prima notitia, & postquàm nobis constitit, Executoriales certas Reuendiss: Domini Francisci Mariæ Ghisilerij Sacræ Rotæ Auditoris, in causa inter Academiam nostram Cracouien. & Rendos PP. Dominos Iesuitas Cra-

couiæ de iure legendi in Curia Romana mota & vertente emanasse, earumq; Executionem, publicationem a præfatis Religiosis vrgeri, & circa hoc agi plurima ab illis præter intentionem R.ndorum Iudicum, præter tenorem Sententiæ, naturam causæ, excedendo modos, locos, tempora, personas, circũstantias in eiusmodi negotijs adhiberi de iure solitas & consuetas, vt non tam ab illis Executio legitima, & tranquillitas in docendo, quam diffamatio Vniuersitatis, subiectorũ perturbatio, scandalorum, quod Deus auertat, origo, præter omnem cogitationem, intentionemq; nostram, quæri videatur. Nos quemadmodum reuerẽtissime semper sanctæ Sedis Apostolicæ Authoritatẽ & placita habuimus; vt pote qui eius beneficijs stemus, præter commune obsequij & obedientiæ debitum, ad quod Nos fides sancta, & professio nostra stringit: ita prædictis Executorialibus reuerentissimè susceptis, obedientissimos filios & obseruantissimos Matris nostrę Romanæ Ecclesiæ Nos præstabimus. Cumq; adeò lite pendente procurauerimus egerimus, vt Religiosi Iesuitæ in suis quantumuis prætensis Scholis, tranquille, pacificè quiete respectu nostri, & nostrorum agerent, neq; potest quisquã probare, quod nostra causa, scitu, voluntate, offensi, læsi, inquietati, fuerint, quinimò nos multa passi, multum turbati, agitati, nullo merito nostro simus, quibus (quod extremę miserię est) facultas defensionis naturalis adimebatur: si inquam ita nos habuerimus antea, quanto magis nunc, dicti Religiosi omnẽ quietẽ, omnẽ securitatem, imò & patientiam nostram sibi polliceri possunt. Vnde maiorem in modum miramur, diuinareq; non possumus, cur in scribendis Executorialibus, ita sibi prouiderint, ac si in summo periculo & perturbatione Cracouiæ versarentur: nunc autẽ circa intimationes, publicationes, dispersiones illarum ita se gerant, vt magis inquietationem, turbationem nobis inferre velle videantur, quàm metuere, ne turbentur, & inquietentur. Quare Nos circumspicientes in futurum, quid inde suboriri possit, quantaq; seges mali Cracouiæ hic ex dicto excessu exequendi subsequi valeat, & quanta materies calumniarum succrescere alibi, post

repetitam

repetitam Proteſtationem de parendo iudicatis, teſtamur dictam Sententiam, non potuiſſe in rem iudicatam tranſire, neque poſſe; a qua ſcilicet in Curia Romana appellatum eſt per Agentes noſtros, cuius Appellationis ſequitur Tenor.

In nomine Domini, Amen. HOc eſt exemptum tranſumptum ſiue copia ſchedulæ Appellationis interpoſitæ ab infraſcriptis Procuratoribus Magnifici D. RECTORIS ac Vniuerſitatis Studij Generalis ciuitatis Cracouienſis coram Rndiſſimo Patre Domino Franciſco Maria Ghiſilerio Sacræ Rotæ Auditore, in cauſa Cracouienſi Iuris legendi, inter eoſdem ex vna, & Reuerendos PP. Societatis Iesv dictæ ciuitatis partibus ex altera, coram eo vertente in tertia inſtantia Iudice Comiſſario, vnà cum reſponſione habitâ ab eodem Rndiſſimo Patre Domino Auditore per me Sacrę Rotæ Romanæ & huiuſmodi cauſæ Notarium publicum infra ſcriptum, ex ſuo proprio originali exiſtenti in filo ſentētiarū mei Officij fideliter extracto, & copiato ſub Anno Domini, Milleſimo Sexcenteſimo Trigeſimo. Indictione decima tertia, die vero decima ſexta Menſis April. Pontificatus autē SS. in Chriſto Patris & Dñi noſtri D. VRBANI diuina prouidētia Papę Octaui, Anno Septimo quorum tenor eſt vt ſequitur. VNIVERSITAS Crac. Iuris docendi pro Magnifico D. RECTORE ac Vniuerſitate Venerabilis Studij Ciuitatis Crac. contra Rendos Patres Ieſuitas, & Collegium Societatis Iesv dictæ ciuitatis, comparuerunt perſonaliter coram Rndiſſimo Patre Dño Franciſco Maria Ghiſilerio Sacræ Rotæ Auditore in domo ſuæ ſolitæ habitationis & reſidentię, Admod: Rendus D. IACOBVS VSTIENSIS I.V.D. & S. Th. Doctor, publicuſq; Profeſſor in Academiâ Cracouien: & Canonicus S. FLORIANI, nec non Illuſtris & Excellens D. I.V.D. Dominus PAVLVS MERLINVS Magnifici D. RECTORIS, ac Vniuerſitatis Generalis Studij Ciuitatis Cracouiē inſimul & inſolidum legitimi Procuratores, qui facto dederunt & exhibuerunt ſchedulā Appellationis īfraſcripti tenoris, & c.

 à qua-

à quadam prætensâ sententiâ, vt dicitur, in Rotâ latâ, per Reuerendiss: Patrem D. Ghisilerium in causa & causis coram eo verteñ, inter Magnificum Dominum RECTOREM ac Vniuersitatem Studij Generalis ciuitatis Cracouiensis ex vna, et R̃ndos Patres Dominos Iesuitas Societatis Iesv dictæ ciuitatis parte ex altera, in tertia seu alia veriori instantia, de & super quodam iure dictæ Vniuersitati ex immemorabili tempore ac ex Serenissimorum Regum Poloniæ, & Sanctissimorum Pontificum priuilegijs competeñ legeñ, ac publicè docendi priuatiuè, quoad omnes alios, ac facultate prohibēdi, ne alij in dicta ciuitate doceant, cuiuscunq; generis sint: nec non occasione cuiusdam aperitionis Studij seu Collegij, à dictis Patribus Societatis in dicta ciuitate attentati, ac tandem de & super Remissoria, prius de partium cōsensu decreta atq; iam expedita, & postea iniuste denegata, ac expensarum condemnatione, & taxatione, rebusq; a ijs in actis causæ & causarum huiusmodi latius deductis; Procurator & eorum nominibus, sentiens se partemq; suam enormiter læsam & grauatam, pręcipuè, quia principalibus suis fuit per dictam sententiam sublata facultas probandi & proprium ius deducendi, quod est de iure naturæ, timensque in futurum magis lædi & grauari posse, inhærendo inprimis & ante omnia iuribus per D. Magnificum RECTOREM, & Vniuersitatem in Actis productis, ac Protestationibus per Ordines Nobilium Regni Poloniæ, & his saluis; ad Sanctissimum D. Nostrum Vrbanum VIII. eiusque sanctam Sedem Apostolicam in his scriptis prouocat & appellat peteñ instanter instantiùs & instātissimè, sæpè sæpiùs & sæpissime, sibi de Apostolis responderi, non solum modo præmisso sed omni &c. saluo, &c. Protestañ: &c. omni, &c. Ex tunc R̃ndissimus Dominus Franciscus Maria Ghisilerius Rotæ Auditor & huiusmodi causæ Iudex Commissarius, dictis DD. Procuratoribus vt supra præsentibus, & petentibus dedit refutatorias in forma. Actum Romæ in Palatio habitationis supra scripti Domini Iudicis, & Camera suæ solitæ residentiæ

dentię, in qua quidem iura reddi solent, & causæ partium audiri consueuerunt, sub Anno a Natiuitate Domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo, Indictione decima tertia, Die vero decima sexta Aprilis, Pontificatus autem SS. in Christo Patris & D. N. D. Vrbani Diuina prouidentia Papæ Octaui, anno septimo, præsentibus ibid. prouidis viris, Dominico Fontia & Francisco Pacichello causarum Sacri Palatij Apostolici Notarijs, atq; coram eodem R̃ndissimo Patre D. Auditore Iudice atq; Commissario præfato, scribis publicis testibus ad omnia & singula supra scripta vocatis habitis atq; rogatis. *Et quia ego Joannes Paulus Cæsarinus Anconitanus, causarum Sacri Palatij Apostolici Notarius publicus de præmissis rogatus: ideo præsens instrumentum transumpti Appellationis & responsionis respectiuè, subscripsi & publicaui rogatus & requisitus.* Nos Franciscus Maria Ghisilerius I. V. D. SS. D. Nostri Papæ Capellanus & ipsius Sacri Palatij Apostolici causarum Auditor, Vniuersis fidem facimus, & attestamur suprascriptum D. Ioannem Paulum Cæsarinum de præinserto Instrumento rogatum, tempore dicti rogitus, & diu ante fuisse, & esse Publicum Sacri Palacij Apostolici causarum Notarium fidelem & legalem, eiusq; scripturis publicis semper in Iudicio & extra adhibitis fuisse, & de præsenti plenam adhiberi fidem. In quorum &c. Datum ex Ædibus nostris sub Anno Domini, 1630. Die vero 16. Mensis April. Pontificatus autem SS. D. N. Vrbani Papæ Octaui anno Septimo.

Archangelus Baronus Sacræ Rotæ Notarius.

VLtra vero rationes in dicto instrumento Appellationis cõtentas, & vltra denegationem Remissorialium, considerando, dictos Religiosos Presbyteros Societatis Iesu antequam agere, & obtinere quidquam nomine prædicti sui Collegij Cracouiensis possent, erectum illud fundatum & substantialia Collegij requisita continens habere debuisse, vt actio & res iudicata eius nomine sustineretur. Quod cum nullum Cracouiæ sit, neq; esse potuerit, perconsequens nihil iuris, ei quoquomodo acquiri potuisse & posse: non entium quip-

 pe sunt

pe sunt nullæ qualitates: ideoq; primò in hac causâ dispiciendum erat, an Collegium aliquod de præsenti Cracouiense fuerit, antequam Actores, Rectores, Procuratores illius ad Iudicium admitterentur? Nec minus id præ oculis habendo, quod Bullæ disponentes de Religiosis præfatis, & eorum Collegijs, vigorem & tacitam cōditionem habeant: vt in quantū ab incolis locorum requirantur, scholas erigant, & doceant, in quantumq; necessitas publica & vtilitas aliqua scholas illorum promouere possit. De qua conditione hic adeo non cōstat, vt etiam, cùm ab alijs Regni Poloniæ incolis, tùm præcipue Palatinatus Cracouieñ. publica testatione, dictis Scholis reclamatum fuerit, nec aliquem vsum illarum Cracouiæ fore experientia ipsa manifesto docuit: omissis interim alijs rationibus clarè deductis in processu & informationibus nostris ac in Appellatione ab Agentibus nostris factâ; quam appellationem ratam habemus, & quantum opus est omni meliori modo, de nouo appellamus, de nullitate præfatę sententię dicimus, submittentes Nos protectioni sanctæ Sedis Apostolicæ.

Quia vero supranominati Religiosi prætextu dictarum Executorialium, mira, noua, & inusitata agere efficereq; cōtendunt, immemores, in illis non plus haberi posse, neq; vigorem illarū magis extendi, quam tenor sentētiæ sese extendat, scilicet *Licere illis in Collegio eorum Cracouiensi legere, Facultates iuxta formam Priuilegiorum Apostolicorum & Vniuersitati non licere eos impedire molestare, &c.* Quod cum pro reuerentia Sedis Apostolicæ, saluâ tamen Appellatione, Vniuersitas permittat: valde indignum est, quod præfati Religiosi in rebus securis, cum dictis Executorialibus, quibusuis eas obtrudendo, factum exaggerando, in maius stylū Sacræ Rotæ extendendo, & interpretando, diffamationibus, comminationibus contra Vniuersitatem, quasi iam transgressionis & rebellionis ream, agendo, Executores infinitos, nōnullos cōparticipes & suspectos, quippe ab ipso principio aduersariorum causæ perpetuos adstipulatores & promotores, cōquirendo, procedant, Academiæ Studiosos turbent, ad

Scholas

ſcholas ſuas importune ſolicitent, Iudices ſeculares vt D D. Conſules Cracouieñ requirendo cum Executorialibus,& cæteros iuris ordine non ſeruato in cauſas ſpirituales intrudãt, publicationes diffamatorias faciant, & facere compellant. Hæc enim præter tenorem Sententię, præter omnes prudentię regulas, & contra charitatẽ non ſolum Religioſam ſed Chriſtianam ſunt. Propterea conſiderando ex eiuſmodi calore & ratione procedendi, ſcandala oriri poſſe, & quod Sententia ad ſecuritatem præfatorum Religioſorum lata, in offenſionem Noſtri dirigi & verti videatur, deturque ab illis occaſio nunc & inpoſterum magis atque magis metuendi, ne amplior detur prætextu & colore præfatę ſententiæ, alienationis animorum, diſſenſionum hinc inde calumniarum, oppreſsionum, & diffamationum; Ab eiuſmodi exceſsibus & inuſitatis modis procedendi præſentibus, futuris, illatis & inferendis appellantes, proteſtamur, appellamus, prouocamus, nominatim à iactationibus, impreſsionibus, tranſlationibus in Polonicum, vulgationibus apud ſimplices, publicationibus diffamatorijs, intruſionibus ad magiſtratum ſecularem, turbationibus iuuentutis, ſolicitationibus parentum, pænitentiæ ſacramenti denegatione, publicationibus cenſurarum, cum diminutione honoris noſtri, & cæteris eiuſmodi, maximè ſi quid inde ſcandali ortum ſit, & grauamen impertinentiaque aliqua ſubſequantur, & recurrimus ad prædictam Sedem Apoſtolicam, tàm in principali negotio, quàm in eiuſmodi exceſsibus; tanquam læſi, iniuriati, & diffamati, alias ad omnem meliorem effectum, omni meliori modo & forma. Saluo iure addendi, minuendi, corrigendi, &c.

Super quibus omnibus & ſingulis prædictis, ſupraſcriptus Dominus RECTOR dictis nominibus petijt ſibi à me Notario publico infraſcripto præſens publicum inſtrumentum confici, & extradi. Acta ſunt hæc Crac: in ſolita habitatione eiuſdem Domini Rectoris, ſub anno Indictione Pontificatu, die & menſe vt ſupra, ibidem præſentibus Venerabilibus Dominis,

Nicolao

Nicolao Zuchowski Sacristiano, & Alberto Tixewic Vicario Ecclesiæ Collegiatæ S. ANNÆ Crac. testibus ad præmissa vocatis & specialiter rogatis.

Et ego Albertus Matthiæ Bolkowski publicus Sacra Apostolica & Imperiali authoritate Notarius, quia de omnibus & singulis prædictis, cum suprascriptis testibus rogatus fui; ideo in fidem præmissorum, me subscripsi, publicaui, & signaui requisitus.



CRACOVIÆ,
In Officina Matthiæ Andreouiensis,
Anno Dñi, M. DC. XXX.



